



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Specvlvm Monachorvm D. Bernardi, S. R. E. Cardinalis, Et  
Abbatis Cassinensis**

**Arnulfus <de Boeriis>  
Bernardus <Ayglerius>**

**Dilingæ, 1616**

X. Quæ in Regula habeant vim præcepti, & quæ consilij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48585](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48585)

## CAPITVLVM X.

IN QVO QVÆ-  
STIO, VTRVM CON-  
TENTA IN REGVLA SINT  
præcepta, ponitur & dis-  
putatur.



RIBVS professionis  
partibus, secundum  
quod ministravit Do-  
minus, pertractan-  
do premisis: Nunc  
in vltima particula primæ partis,  
quæstio est subiicienda, quæ in prin-  
cipio voluminis, fuit totius opuscu-  
li prima causa. Hac igitur quæstio-  
ne sic queritur:

*An omnia sint præcepta quæ in S. Pa-  
tris nostri Regula continentur?*

*Vtrumne nihil in ea præcipia-*

rum, aut aliqua sint monita, vel consilia?

Item, Et si dicantur omnia precepta, utram sint ad poenam eternam obligatoria?

Item, Si dicantur omnia monita vel consilia, an sint in Monacho quam in alijs grauiora?

Et praeterea, Si aliqua precepta esse determinentur, quae sunt illa, ex quibus transgressores ad culpam mortalem obligantur?

Postremo, Si aliqua sint culpae aggravantia venialem, quantum aggravant magis in Monacho, quam in alia quacunque persona?

Sane licet, ultra vires aestimem hanc quaestionem, ut in principio tetigi, enodare; cogor tamen frequentibus pulsationibus, prout Deus dederit, respondere: & protestor quod non respondeo ut magister, sed ut discipulus, Regulaeque minister:  
Nec

Nec modo Scholastico disputando, sed modo Monastico conferendo. Et quicquid sim dicturus, non intendendo iudicare de legis nostræ viribus; quia mihi non permittitur, nec licet; sed secundum ipsam sermo meus totaliter esse debet. Sanctus enim qui eam instituit, tunc de ipsa iudicauit. Sed iam ea constituta, nihil mihi licet constituere super ea; sicut in libro de vera Religione, de legibus secularium beatus Augustinus ait: In istis temporalibus legibus, quanquam de his homines iudicent cum eas instituerint, tamen cum fuerint institutæ ac firmatæ, non licebit iudici de his iudicare, sed secundum ipsas.

Quod verò tota Regula sit præceptum, innuit verbum in principio Regule positum: *Ausculta o fili præcepta Magistri.* Item & aliud: *Ergo preparanda sunt corda & corpora nostra sanctæ præceptorum obedientie milita-*

*In Pro-  
log. Reg.*

*militatura*: Item, ipse Pater & Magister mandat; *ut in omnibus omnes magistrum sequantur regulam, nec ab ea temerè declinetur à quoquam.* Igitur si in omnibus, & ab omnibus Regula sequenda est, nec à quoquā temerè declinanda, nullus aliquo instituto regulari excusabitur, & in omnibus ex præcepto debet seruari. Ergo tota præceptum esse videtur. Præterea beatus P. N. Benedictus regulares observantias, *seruitium sanctum appellat*, & illud etiam Monachos professos fuisse indicat, ubi ipse dicit; *propter seruitium sanctum quod professi sunt.* Sed quod profitetur quis solemniter, vouet; & si fiat contra votum solenne, culpam mortalem habet. Ergo facere contra votum professionis, erit causa culpæ mortalis. Sed professi sumus seruitium, sanctæ Regulæ, ergo faciendo contra erit peccatum mortale. Item, si Beatus Pater

Cap. 3o

Cap. 5o

Ibidem.

G

Bene-

Ca. 6,  
Reg. *Benedictus vana verba, otiosa, & risum mouentia aeterna clausura damnauit, & ista sunt in alijs, qui nō sunt professi Regulam, peccatum veniale, sed in Monacho damnabile; si illud quod minus videtur inesse, inest culpa damnabilis; & illa magis quae videntur inesse, inerunt, culpa mortalis erit: sicut ieiunia Regulæ violare, carnes comedere, & propriū habere. Ergo in alijs quae sunt maiora, quā verba otiosa & similia, Monachus qui comittit, peccatū mortale incurrit. De praemissis autē B. Be-*

*ibidem.* *neditus sic dicit: Scurrilitates verō & verba otiosa, & risum mouentia, aeterna clausura in omnibus locis damnamus, & ad tale eloquium discipulum aperire os non permittimus. Item multum facit ad hoc, quod sanctissimus*

Cap. 58. *Pater N. dicit: Si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, & cuncta sibi imperata seruare, tunc suscipiatur in cōgregatione. Cum ergo ille qui recipitur, se omnia custodire*

& nodire polliceatur, si aliquid ipso-  
 rum transgreditur, promissio, vo-  
 tum, & professio violantur. Ergo  
 hoc peccatum mortale esse videtur.  
 Item ex verbis etiã B. Patris nostri  
 sumitur argumentum, quod vide-  
 tur esse super omnia argumentum, *Ibidem:*  
 cum dicit: *Suscipiendus autem, in Ora-  
 torio coram omnibus promittat de sta-  
 bilitate sua, conuersione morum suorũ,  
 & obedientia coram Deo & sanctis eius.*  
 Et sequitur terribile verbum, & val-  
 de pfitentibus metuendũ, cum sub-  
 dit: *Vt si aliquando aliter fecerit, ab eo  
 se damnandum sciat, quem irridet.* Igi-  
 tur cum Deus neminem damnet si-  
 ne peccato mortali, & faciẽs contra  
 Regulã subijciatur æternæ damna-  
 tioni, tota Regula erit tale præceptũ,  
 quod obligat ad mortale peccatũ.

De viribus autẽ voti, & q̄ ea quæ  
 vouemus ex debito teneamur red-  
 dere, dicit B. Aug Sunt quædã q̄ nõ  
 vouẽtes debemus, quædã et quæ nisi  
 vouerim⁹, nõ debem⁹; sed postq̄ ea

Deo promittimus, necessario reddere constringimur. At idem facit, quod eodem modo est præceptum de impletione voti, & obseruantia iuramenti; sicut legitur in lib. Nu-

*Numer. 30. 30.* *Si quis virorum votum domino vouerit, aut se cōstrinxerit iuramento, non faciat irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit.* Nam vouere est consilij, sed reddere est præcepti, vouere voluntatis, reddere necessitatis. Vnde Psalmista: *Voue-*

*Psal. 75. 32.* *te & reddite Domino, &c.* Item si dicimus quod tota Regula est præceptum, si non fiat, habebit supplicium æternum; Sicut dicit B. Gregorius: Quod præcipitur, imperatur; quod imperatur necessitas est fieri, si non fiat, pœnã habet. Augustinus: Quod Cæsar præcipit, ferendum est; quod imperat, tolerandum. Item de consilio, & præcepto, & voluntate, & arbitrio dicit B. Gregorius: Vbi consilium datur offerētis arbitrium est, vbi



vbi præceptum, necessitas seruien-  
 tis. Item Augustinus: Quisquis  
 præceptis Domini non obtempe-  
 rat, reus est & debitor poenæ. Et pau-  
 lō post: Præcepto Domini non o-  
 bedire, peccatum est, & consilio si  
 vti volueris, minus boni adipiscē-  
 ris. Dato igitur quod totam Regu-  
 lam professi simus, & in profesio-  
 ne votum emisimus, ergo neces-  
 sario ad totam Regulam obseruan-  
 dam tenemur. Cum igitur tota Re-  
 gula sit præceptum, & ad peccatum  
 mortale obligatorium, facientes cō-  
 tra Regulæ promissionem incur-  
 runt æternam damnationem.

Quod autem illa quæ continen-  
 tur in Regula non sint vota, vel præ-  
 cepta, & per consequens non sint  
 ad poenam æternam obligatoria, pa-  
 tere videtur ex eo, quod B. Benedi-  
 ctus dicit: *Ausculata, ô fili, præcepta in Pro-*  
*Magistri: quasi exponendo in con-*  
*tingenti subiungit: Admonitionem p̄ij*  
*logo.*

G 3 Patris

*Patri libenter excipe, & efficaciter comple.* Ergo Regulam statuit non præcipiendo, sed potius admonendo. Item, ducatus Euangelij non est totaliter per præcepta, sed est in multis, & ferè in omnibus per consilia: Sed B. P. Benedictus Regulam inducit *per ducatum Euangelij*; ergo nõ continetur tota sub viribus præcepti, sed potius per semitas consilij. Ipse enim sic ait: *Succinctis ergo fide, vel obseruantia bonorum actuum lumbis nostris, per ducatum Euangelij pergamus itinera eius, ut mereamur eum, qui nos vocauit, in regno suo videre.*

Præterea si daretur quod tota Regula esset præceptum; eius obseruãtia non solum esset grauis, sed etiã intolerabilis: sed B. P. Benedictus nihil constituit graue, nihil asperũ, nihil importabile; ergo non est tota præceptum sanctæ institutio Regule. De his B. Benedictus sic dicit:

Con-

*Constituenda est ergo à nobis Domini-  
 ci Schola seruitij, in qua institutione  
 nihil asperum, nihilq; graue nos con-  
 stitutos speramus. Sed & si quid re-  
 strictius paululum, dictante æquitatis  
 ratione. propter emendationem vitiorū,  
 vel conseruationem Charitatis proces-  
 serit, non illico pauore perterritus, refu-  
 gias viam salutis, quæ non est nisi an-  
 gusto initio incipienda. Est igitur Re-  
 gula ex ratione æquitatis dictata, ad  
 vitiorum emendationem, ad Cha-  
 ritatis conseruationem, & ad viæ  
 salutis ostensionem. Ergo est potius  
 per monita edita, quàm per præcepta  
 totaliter imperata. Item, si daretur  
 quod Regula esset præceptum data,  
 cum esset multis importabilis, & in  
 multis quodammodo impossibilis,  
 non haberet omnia illa quæ sunt  
 necessaria in lege condenda. Sed  
 hæc lex est, vt dicit Beatus Bene-  
 dictus, sub qua militare debemus,  
 ergo in ipsa omnia quæ requiruntur*

*Circa fi-  
 nem Pros-  
 logi.*

in lege condenda, inueniemus. Quæ sint autem illa, Isidorus exprimit, dicens: Erit autem lex honesta, iusta, possibilis secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, locoq; ac temporî conueniens, utilis & necessaria. Per te autem videas, si omnia concurrerent supra dicta, si præceptum esset tota Regula. Ad id etiam facit, quod si Regula esset præceptum, iam non spirituales viros in via paradisi regeret, sed potius laqueis plena infernalis muscipula profitentes Diabolo illaquearet. Sed cum B. Benedictus omnium iustorum spiritu fuerit plenus, non est dubium quod fuerit misericors & pius, ac benignus, cum ipsa benignitas sit Spiritus sanctus. Non est igitur credendum, quod omnia præceperit quæ nobis agenda esse decreuit, vt stricto gladio omnes transgressores volens interficere, æterna voluerit morte perire.

perire. Nam si sic esset, non esset Regula data ex pietate paterna, sed ex crudelitate tyrannica: Nec esset discretionem præcipua, sed penitus indiscreta.

Ad ipsam sanè quæstionem soluendam, & ad veritatem virium Regulæ intelligendam, quantum possū videre & capere, tria videntur attendenda esse debere, scilicet Regula dirigens, persona suscipiens, & efficacia consequens.

Circa primum considerandum, quid ab ipsa Regula supponatur. Quid in ipsa Regula ministro Regulæ, Abbati videlicet, committatur.

Et notandum ad hæc, quod secundum Richardum de S. Victore, Regula dicitur eò quod rectè regat, aut quod rectè doceat. Item secundum Isidorum, Regula dicta est eò quod rectè ducat, nec aliquando aliorum trahat; vel quod regat; vel

*Regula  
vnde  
dictas*

quod normam rectè viuendi præbeat, vel quod distortum prauumq; corrigat. Igitur oportet Regulam aliquid præsupponere, ad cuius similitudinē sit ipsa Regula, & appareat in se recta. Et ista rectitudo est essentialis. Oportet enim adhuc quod sit Regula recta, q̄ sit alicuius rectitudinis similitudo expressa. Et hoc est Sanctorum Regulæ essentialis, moralium supponere Regulam præceptorum. Vnde B. Benedictus Regulam positurus ait: *Succinctis ergo fide, & obseruantia bonorum actuum lumbis nostris, per ducatum Euangelij pergamus itinera eius.* Ergo Regula Beati Patris nostri, præceptorum rectitudinem moralium præsupponit. Cum autem omnis Regula debeat ab alijs Regulis, vel statutis, aut obseruantijs discerni, vel distingui; oportet eam per aliquod speciale statutum discerni. Nam omni Regulæ est commune, vt præ-

tactum

In Pro-  
logo.

tatum est, quod vel rectè ducat,  
 vel rectè regat. Ad hoc autem  
 quod nostra Regula discernatur  
 ab alijs, oportet quod speciale a-  
 liquid statuatur, & propterea San-  
 ctus Pater dicit: *Instituenda est er-  
 go à nobis Dominici Schola seruitij.*  
 Hoc igitur Regulæ est quasi sub-  
 stantiale, aliquorum videlicet spe-  
 cialium institutio statutorum.  
 Credo enim impossibile alias Re-  
 gulam specialem intelligi, nisi  
 contingat per aliquid speciale di-  
 stingui. Præterea, quia sicut dicit  
 Beatus BENEDICTVS: *Omnis e- Cap. 308*  
*tas vel intellectus proprias debet habe-*  
*re mensuras.* Et idem dicit: *Non dici- Cap. 341*  
*mus, ut personarum, quod absit, ac-*  
*ceptio sit, sed infirmitatum conside-*  
*ratio.*

Ex his colligitur, quod iuxta do-  
 ctrinam morum, & considerationē  
 statutorū, diuersi subditi & Religio-  
 si, sunt diuerso modo tractandi, &

idomum

G 6

maxi-

maximè in promotione, & prouisione, & correptione. Eset autem impossibile ad aliquam artem, vel Regulam vnā reducere hanc varietatem diuersorum Regularium, & singularium personarum. Oportet ergo quod Regula totum non statuatur, sed Abbati, qui est minister Regulæ, multa relinquat. Et hoc intelligo Regulæ esse quasi accidentale. Accidit enim ei, non propter se, sed propter diuersorum differentiam subditorum.

Colligas ergo ex præmissis, quod quedam sunt regulæ essentialia, ea videlicet quæ supponit. Nonnulla quasi substantialia, ea scilicet quæ immobiliter statuit. Cætera quasi accidentia, ea scilicet quæ Abbatis ministerio, vel arbitrio derelinquit. Vidisti quæ sunt illa quæ supponit, moralium scilicet regulam præceptorum, & illud, vt prædixi, est quasi essentialia. Quæ sunt autem illa quæ immobi-



immobiliter statuit, patet ex textu  
Regulæ, & maxime ex modo pro-  
fessionis emissæ.

Sed circa personam Regulam  
suscipientem, tria sunt consideran-  
da: Personæ discretio, Regulæ ele-  
ctio, & facta promissio vel pro-  
fessio.

Discretio: quia nisi esset ad mi-  
nus ita discreta persona, quod actu  
vel habitu, ad quod se obligat pro-  
fitendo, intelligeret, iudicio meo il-  
la professio non valeret. Dicit e-  
nim Augustinus: Nullius crimen  
maculat nescientem. Ita etiam  
nullum votum obligat ignoran-  
tem.

Item consideratur electio. Quia  
nisi persona voluntaria modo ali-  
quo esset, professio non teneret.  
Dicit enim Beatus Augustinus: Il-  
lud quod voti est, suaderi potest, im-  
perari non potest.

Consideratur insuper professio-

G 7 nis

nis emissio, siue sit discursu temporis tacita, siue per solemnem expressam professionem. Quia nisi altera earum adesset, Regula non ligaret. Vnde Beatus Benedictus: *Cap. 58. Si habita secum deliberatione, promiserit se omnia custodire; vsque ibi: Sciens se iam sub lege Regula constitutum, quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de subiugo Regula, quam sub tam morosa deliberatione licuit aut excusare aut suscipere.*

Cum autem profitens, sicut ex verbis Regulae patet, nihil aliud voueat; nihilque Deo promittat nisi *stabilitatem, morum conuersionem, & obedientiam*; iudicio meo, de vi Regulae ad aliud non obligatur. Et praeter illa tria necessario ad aliud non tenetur: Praeterquam ad ea quae Regulae minister praecipit iuxta ipsam, & ad illius statum praecipit & apponit obseruantiam. Hoc enim

enim quod Abbas non præter De-  
um vel contra præcipit, & profitens  
in ipsa obedientiæ professione in-  
cludit. De his ita dicit Beatus Ber-  
nardus: Nihil mihi prælatus pro-  
hibeat de his quæ promisi, nec plus  
exigat quam promisi; nisi mea vo-  
luntate non augeat vota mea, nec  
minuat sine certa necessitate.

Ex his, ut arbitror, uterque po-  
test advertere, & plenè intelligere,  
quid habeat Regula præcepti, &  
quid per modum præcepti sit in ea  
ita obligatorium, quod eius trans-  
gressio adducat æternum interi-  
tum.

Circa tertium, & ultimum inter  
tria principalia superius posita, vi-  
delicet efficaciam consequentem,  
video quod triplex potest esse effi-  
cacia Regulæ, scilicet Instructio im-  
peritorum, Correctio delictorum,  
& Acquisitio meritorum.

Regula verò est instructio impe-  
ritorum,

ritorum ; Vnde dicitur Regula, eò quod rectè doceat. Regula dicitur correctio delictorum ; Vnde Regula dicitur, eò quòd rectè dirigat. Regula etiam est acquisitio meritum ; Vnde Regula dicitur, eò quod rectè ad gratiam, & gloriam pramiorum perducatur. De primo Beatus Basilius in Regula Monachorum : Oportet ante omnia summam diligentiam adhiberi, quod possint ad omne virtutū exercitiū probabiliter institui, tam in intellectu, quam in opere, quam etiam in verbo. De secundo, quod est correctio delictorum, dicit ibidem Beatus Basilius : Iniungenda est cura ab his qui præsunt, pro merito ætatis aut delicti, correptionis mensuram singulis adhibere. Et qui seruent eos primū omnium à sermonibus otiosis, ab iracundia, & incitamentis gulæ, & à cunctis indecentibus, & inordinatis moribus.

bus. Est etiam postremò adquisi-  
tio præmiorum & meritorum, vt  
secundum hæc sit Regula quasi re-  
giminis gratia, vel quasi regalis glo-  
ria. Quia per gratiam meritorum,  
ducit ad gloriam præmiorum; vn-  
de cum dixisset Beatus Benedictus:  
*Per ducatum Euangelij pergamus iti-  
nera eius: per quod innuit acquisi-*  
tionem ex Regula meritorum; sub-  
sequenter adiungit: *Vt mereamur  
eum, qui nos vocauit, in regno suo vi-  
dere: per quod innuit gloriam præ-  
miorum.*

In Pro-  
logo.

Et ad clariorem intellectum eo-  
rum trium quæ Monachus pollice-  
tur, dico; quod si Monachus gyro-  
uagus, vel Apostata efficitur stabili-  
tatem deserens quam promisit; vel  
si omninò mores regulares abijcit,  
& ad seculariter viuendum se de-  
derit; vel si abiecto obedientiæ frœ-  
no promissæ, per campos propriæ  
voluntatis currit, vt Abbati & re-  
gula

gula nec subdi, nec obedire velit, ipsum esse voti transgressorem, & pacti prauaricatorem, & in hoc statu saluari non posse, & eum in statu saluandorum non esse.

Adijcio etiam, quod abdicatio proprietatis, & obseruatio continentia salutaris, in morum conuersione includuntur. Quæ plenè non seruaretur, si is, qui proprii corporis potestatem non habet, proprietatem de rebus omninò non abdicaret, ita quod nullam rem retineat Monachus, nisi quod Abbas dederit, aut scienter permiserit. Nec potest contrahere matrimonium, aut sine transgressione voti continentiam violare.

Premissa igitur tria in professione discrete scripta, & expresse nominata, dico substantialia, & transgressorem, vt prædixi, ad culpam mortalem obligatoria. Et alia dico non esse sub viribus præcepti:

Nec

Nec profitentem dico ex voto ad eorum plenam obseruantiam astringi. Nam alia, præter illa tria, voluntatem nobis sancti patris, & viuendi normam, rectissimam monstrant; Vnde licet nos DEO maximè obedire teneamur, non tamen in omnibus, quæ ipsius indicant voluntatem, ex præcepto astringimur; imo sunt aliqua consilia, nonnulla monita, & aliqua sunt præcepta. Per modum igitur illum quem retinet Euangelica Regula, procedit regula Monastica.

Similiter illa quæ respiciunt Abbatis verbum, non debent respici vt præceptum. Quædam enim dicit monendo, quædam etiam consulendo, & nonnulla præcipiendo.

Attendendum est igitur in Regula dirigente, & in Abbate mandante, quo affectu, & à qua intentione,

tione, & per quem modum præcipitur: & secundum hoc maior, vel minor transgressio, vel culpa debetur. De hoc dicit B. Bernardus: Inter præceptores cuius imminet nobis reuerentior auctoritas, eius grauior formidetur offensio, aut maioris mandati transgressio damnabilior æstimetur. Melius est enim obedire Deo, quam hominibus. Et in hominibus melius Magistris, quam discipulis; Maioribus mandatis maior, minoribus minor opera, & cura debetur. Porro maiora minoræue mandata dixerim secundum quod maius, vel minus velle constiterit illum qui præcipit, siue hominem, siue DEVM. Idem, Non pari culpa negliguntur; quæ non pari modo præcipiuntur, nec pari pœnâ puniuntur.

In his etiam regularibus obseruantijs, quæ non sunt de tribus in  
pro-



professione distinctè expressis, & si non habeant culpam mortalem, & per consequens æternam damnationem, possunt tamen habere grauem transgressionem. Nam quæ sunt maiora, erunt in igne purgatorij quasi ligna. Quæ sunt mediocria, sicut ferrum erunt in purgatorio consumenda, locumque stipulæ tenebunt minora, iuxta illud Apostoli ad Corinth. *Si quis superedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusq; opus manifestum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur: & vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit.* 1. Cor. 3. 12.

Causa verò exempli inter maiora Regulæ instituta, præter tria prædicta, & in eis, vt est præmissum, inclusa sunt esus carniū sine necessitate, vel reparationis vtilitate, vel superiore mandante, Hoc nisi ex  
con-

contemptu frequenter, & indifferenter ex consuetudine peteretur, peccatum mortale non iudico, nec ad pœnam mortalem obligare credo. Sed pro certo, si frequentatio eius sine causa rationabili, vt dictum est, sit, sicut ligna lōgum cruciatum habebit delinquens, tamen quasi per ignem saluus erit. Fractio verò silentij post Completorium, loquacitas, scurrilitas, & verba mouentia risum cum sui similibus, credo esse de mediocribus, quæ tardius quam stipula, citius tamen in igne consumentur quam ligna. Sed & risus nō multum immoderatus, nec cum exaltatione vocis emissus, & locutio, illis quibus aliquando licet horis, & illis quibus permittitur in locis, aliquantulum immoderata, & ex vanitate verbi que qualitate, aut quantitate, verba otiosa citius, quam præmissa; vt æstimo, punientur, & iuxta modum stipulæ facilius succendentur. Sanè

Sanè verba quæ præmissi non sic attendas, quod maiora, minora, vel mediocria magis contemnas. Dum enim in hoc corpore sumus, quasi in naui positi nauigamus, & ideo timendum est naufragium, & totale periculum naui, circa tria in professione præmissa. Nam prima post naufragium non semper inuenitur tabula, nisi per Dei misericordiam concedatur. Scissionem etiam faciunt maiora, post præmissa, in nauicula nostra, magnam, & ideo circa illa debemus habere mentem attentam. At quæ essent mediocria, facerent, etsi non maxima in naui foramina, tamen magna. Sentina etiam est perscrutanda in minimis, ne forsitan paulatim, licet tardè, quod absit, pereat nostra naui. Nam etsi primum non sit irremediabile, & repentinum periculum, cito tamen naui submergitur per secundum.

Nonnun-

Nonnunquam etiam ex tertio, & licet tardissimè, aliquando submergetur ex quarto. Quocirca minimas etiam obseruantias studeamus obseruare, & de nostra salute semper solliciti nihil vilipendamus, nihil in contemptum, vel consuetudinem reducamus.

Colligas ergo ex præmissis, quod distinctè promissa sunt vt præcepta: Maiora verò post ipsa sunt monita, locumque habent directionis & consilij, media & minora: Maiora verò promissa ad culpam obligant mortalè; Monita verò & cōsilia pœnitentiam habent proculdubio leuiorem, secundum præmissam superius distinctionem. Sed magis ponderant, & grauiora sunt in religiosa persona, quam in quacunq; alia, vtpote quia Monachus magis debet esse perfectus, & ideo magis ad monitiones, ad directiones, & ad consilia est astrictus. Illa  
ergo

ergo concedo argumenta, quæ probant quod non omnia quæ continentur in Regula sunt præcepta.

Ad primum autē, quod ad contrariam partem probandam inducitur, quod omnia esse præcepta videntur ex eo, quod in principio Regulae dicitur: *Ausculata, ô fili præcepta* initio  
Prologio  
*Magistri?* dico, quod non hoc verbum ex persona beati Benedicti quod se Magistrum appellet sit prolatum. Et hoc ex eo quod postea subiungitur, patet: *Admonitionem p̄i Patris libenter excipe.* Neq; enim se pium patrem appellat, qui omnem iactantiam fugiebat. Sed pium, & magistrum Christum dicit, sicut in verbis in eodem proœmio plenè ostendit: Ad illud quod dicitur: *Ergo preparanda sunt corda & corpora* Ibidem  
*nostra sanctæ obedientie præceptorum militatura;* potest dici quod de obedientia dicitur, de qua expressè ibidem loquitur.

H

Ad

Ad illud quod subinducitur: *In*  
*Cap. 3. omnibus igitur omnes magistram se-*  
*quantur Regulam &c. potest respon-*  
*deri.*

Quod illa conclusio, quod tota  
 Regula sit præceptū, nullatenus po-  
 test sequi. Nam Monachus non pro-  
 fitetur Regulam, ad stabilitatem, &  
 obedientiam, & morum conuersio-  
 nem secundum Regulam, sicut dicit  
 Bernardus: Nemo cum profitetur  
 spondet Regulam, sed determinatē  
 secundum Regulam, suam quisque  
 conuersionē, suamque conuersatio-  
 nem sese dirigere pollicetur. Item  
 professio sic se habet: *Promitto, non*  
*quidem Regulam, sed obedientiam se-*  
*cundum Regulam.* Ex his igitur dico q̄  
 in alijs que in professione non ex-  
 primūtur, Monachus sequitur Regu-  
 lam vt magistram docentem, & ad  
 rectitudinem dirigentē, & salubria  
 monentem, & vtilia consulentem,  
 non vt iubentem, mandantem, vel  
 præcipientem. Ad

Ad illud quod inducitur, quod regulares observantia seruitium sanctum appellantur, & tamen illud Monachi profitentur, ubi dicit: *Propter seruitium sanctum quod professi sunt cap. 50*

Dico, quod in verbo illo sumitur pars pro toto: quia ubi dicit hoc, nobis de obedientia loquitur, & sub rubrica de obedientia continetur; Vnde sic verbum illud intelligitur: *Propter seruitium sanctum quod professi sunt*: id est, propter obedientia sancta seruitutem, de qua faciunt Monachi professionem. Ex quo patet, ex praemissis non sequi conclusionem.

Ad illud quod scurrilitas, & verba otiosa aeterna clausura damnantur, & ideò si haec minima sunt damnata, multo fortius maiora, & ideò damnabiliora.

Respondeo, qd B. Benedictus ostendit, in discipulo tantam perfectionem

H 2 esse

esse debere, quod ista minora, debet, sicut damnata vitare. Hoc etiam dicit, ut discipulum tacendo, & non fatuè loquendo, professionem acquisituum ostendat. Et ad illa nouitium instruat, non ut æternæ damnationi ipsum supponat. Quis enim dubitat maius peccatum esse murmurare, vel silentium post Completoriū frangere, quàm vnum verbum otiosum, vel iocosum locis & horis, quibus solui potest silentium, proferre? Sed de murmuratione B. Magister nihil præcipiendo dicit, sed monitionem facit, vbi ait: *Hoc ante omnia admonentes, ut absq; murmuratione sint fratres.* Item pro murmuratione, & silentij post completoriū fractione pius pater pœnam indicit temporalem in Regula; ergo patet quod non obligat ad æternam damnationem.

Ad aliud insuper argumentum quod



quod ex eo verbo inducitur, quod in regula dicitur: *Si habita secum de liberatione, promiserit se omnia custodire, &c.* Responderi potest, quod largè sumitur verbum promittendi, vt non importet obligationem voti. Et erit sensus: si ostenderit se omnia velle custodire, id est suam voluntatem ad omnia custodiēda, pro posse, dirigere. Nullus enim ita incautè emittit suam professionem, quod ita promittat omnia custodienda, & totius Regule obseruationem, quod in nullo ultra trāsgrediatur quod in regula continetur; vnde B. Bernardus: Nemo si cautè profiteretur, pollicetur in nullo se ultra transgressurum.

Et ad ista respondendo repetas, quod Monachus non profiteretur Regulam, sed profiteretur tria secundum regulam.

Ad aliud verò quod ad idem fortius inducitur: *Suscipiendus autem in Ibidem,*

H 3 Orato-

Oratorio &c. vsque ibi. *Vt si aliquando aliter fecerit, à Deo se damnandum sciat, quem irridet.*

Est respondendum, quod ita est illud verbum intelligendum: *Si aliquando aliter fecerit*, id est, si directè contra professionem fecerit. Nec dicitur contrarium facere professioni, pro transgressione cuiuslibet statuti, vel verbi in nostra Regula contenti. Sed si contrariū promissioni fecerit, de stabilitate apostatado, vel contra Regulā, & superioris preceptū vagando; vel seculariter omnino viuēdo; vel obedientiā contemnendo. Et per hæc intelligas Responsum authoritaribus Augustini: Sunt quædam quæ non vouentes debemus &c. Et huic, quod legitur in lib.

*Numer. Si quis virorum votum vouerit Domino, &c. Et verbo Psalmi: Vouete &c. & authoritati Beati Gregorij: Quod præcipitur, imperatur. Et Beati Augustini: Quæ Cæsar præcipit,*

*Numer.*

*30. 3.*

*Psal.*

*75. 12.*

præcipit, ferenda sunt &c. Et ad illud ultimum: Quisquis præceptis Domini non obtemperat &c. Quia cum tota regula, ut præmonstratum est, non contineatur in voto, neque omnia quæ ibi continentur sint sub præcepto, & per consequens non incurrant pœnam æternam; qui cætera præter tria in aliquo transgrediuntur, nec ut præuaricatores pacti vel voti merito puniuntur.

Sanè in hac materia Magister *Contemptus duplex.*  
 Gulielmus de petra alta, sic dicit: *ptus duplex.*  
 Notandum quod tria timenda sunt in transgressionibus minorum mandatorum, scilicet contemptus, usus vel consuetudo, & obstinatio.

Potest autem distingui dupliciter contemptus; scilicet contemptus personæ superioris, & contemptus statuti. Et contemptus statuti est duplex, scilicet contemptus mandati, & contemptus remedij. Contemptus personæ superioris,

est irreuerentia potestatis. Contemptus statuti, est in illo qui mente relaxata sine freno currit per campos licentiae, transgressiones non reputans, de remedio non curans. Vnde Salomon in Prouerbijs. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Præterea Beatus BERNARDVS, vt mihi videtur, de hac materia optimè dixit: Partienda est nobis in duo hæc vniuersalis obseruantia regularis; in præcepta, scilicet, & remedia. Præceptis instruitur vita contra peccata. Remedijs restituitur post peccatum innocentia. Sic ergo vtraque complectitur ista nostra professio, vt professus quisque, cum in aliquo regularium mandatorum deliquerit, si ad remedium æquè regulare confugerit, etsi conuincitur transgressor mandati, non tamen est præuaricator pacti. Solum itaque censuerim fregisse votum, violasse propositum,

PROVER.  
28. 30.

positum, pactum præuaricasse, qui & præceptum contempserit, & remedium. Nam illum sanè dico securum, qui, etiamsi interdum obedientiæ limitem præterijt, consilium non respuit pœnitentiæ.

Hæc ergo generalis regula sit vniuersorum, quæ per se, aut propter se nec bona nec mala sunt, aut diuina institutione, aut propria cuiusquam professione fixa non sunt, vt non iussa quidem licitè, vtrumlibet, vel admittantur, vel omittantur, iussa verò sine culpa non negligantur, sine crimine non contemnantur. Vbiq̃ue enim & culpabilis neglectus, & contemptus damnabilis est. Differunt autem, quia neglectus quidã languor inertix est, contemptus verò superbix tumor. Item, Nonnulla vaniloquia, seu stultiloquia, & quæcunq; otiosa dicta, vel facta, vel cogitata, venialia, non criminalia reputantur, excepto cum per contem-

H s ptum